

PRO-RECTOR  
ACADEMIÆ LIPSIENSIS

*Ad*  
Exeqvias  
FOEMINÆ

*Spectatissima, pietatis & probitatis exemplaris  
non facile comparabilis*

ELISABETHÆ  
SCHRÖDERIÆ,

RECTORIS ACADEMIÆ MAGNIFICI

VIRI

*Admodum Reverendi, Amplissimi &  
Excellentissimi*

DN. ELIÆ SIGISMUNDI

REINHARTI, S.S. Theol. Doctoris celeberrimi  
& ad D. Nicol. h. l. Pastoris merentissimi,  
Costæ svavissimæ

Cives Academicos

*Fest III. pomer.  
invitat.*

Biogr. erud.

D. 1651/8

*Vitt. Erud. fong - Vol. Reim - Post*

FILS ABLEPH

2 THE

SECTION

...

DN FILLE

...

...

...

...

...

...

...

...



## Um Patriarcha Jacobus coram

Pharaone *ὀδοιπορίαν* suam exponens vitæ suæ  
cursum dies peregrinationis vocat, rerum  
similitudines *ὁμοιωσις* perspexisse videtur.  
Quorsum & indicem digitum intendit Au-  
tor epistolæ ad Hebræos, quando in marty-  
rologio suo, Patres confessos fuisse, dicit, se

Hebr. cap. xi.

peregrinos & hospites esse in terris, nec non  
civitatem fundamentum habentem, cuius opifex & conditor sit  
DEUS, expectare. Quantumvis enim Abrahamus promissionem  
terræ sanctæ à DEO acceperit, non tamen, vel quod plantam pedis  
æquare posset, antequam posteri migrassent Ægyptum, proprieta-  
tis jure possedit, sed castra sua portatilia inter Cananæos de loco in  
locum transtulit, & vel agrum sepulturæ destinandum ab incolis ista-  
rum terrarum interventu certi precii sibi comparavit, nisi quod non-  
nulli terræ portionem illam, in qua ferere posset & metere, ab Isaaco  
conductam velint. Rem ipsam quod attinet, non unum ob tertium,  
vel comparationis fundamentum cum peregrinatione vita nostra  
contendi potest. Peregrinantes terrâ mariqve discriminibus va-  
riis exponuntur, vel unius duntaxat Jacobi exemplo, cui, cum ex in-  
teramni Syria domum cogitaret, secundum proverbium, à fronte  
præcipitium imminebat, à tergo lupi, quem Syri occidendi animo  
sequiebantur, frater Esavus quadringentis stipatus comitibus occur-  
su suo territabat. In hac vita calamitatibus concatenatis, & no-  
vercantis fortunæ telis decussatim quasi confligentibus obnoxii su-  
mus, & licet Jovis taxilli feliciter ex nostra parte cadant, plus tamen  
aloës hæc vita, quam mellis habet. In peregrinationibus hodegis  
nobis opus, prout terrâ mariqve peregrinantes olim, præsertim in  
arenosis Arabiæ & Lybiæ locis, cynosurâ & Helice ducibus uteban-  
tur, quia verò diurno tempore majus lumen obfuscatur minus, & no-  
ctes non semper cælo sudo gaudent, ab annis ducentis plus minus

Act. 7.

):( 2

ductu

ductu acus magneticæ in mari nautæ, in terra peregrinantes, infra  
 terram in cavernis & meatibus subterraneis metallurgi diriguntur.  
 Inter decumanos fluctus, salebras & invia tesqva hujus vitæ, quibus  
 profundè nimis interdum implicamur, Ducem & lucem habemus  
 præviam, verbum DEI salvificum, unicum animarum nostrarum so-  
 latium, lucernam pedum nostrorum & lumen viarum nostrarum,  
 cujus beneficio declinamus pericula, superamus adverfa. Peregri-  
 nantes in locis intermediis non diu moras necunt, sed in patriam,  
 aut, quæ patriæ loco est, fortunarum suarum sedem omnes cogita-  
 tiones suas defixas habent, quòd divertendi saltem, non commoran-  
 di loca sint, probè secum ponderantes. In hac vita versantes voto-  
 rum nostrorū metam & in adversis portum exoptatissimum facimus  
 cælum, veram nostram patriam, in qua *πολίτευμα* nostrum & man-  
 sio parata perpetua, Apostolicum istud auribus & animis insonare  
 patientes: Non habemus hîc permanentem civitatem, sed futuram  
 inquirimus. Quæsit & invenit hanc ipsam Fœminarum Optima,  
 pietatis & probitatis edecumata nomen, virtutum & Charitum com-  
 pendium ELISABETHA SCHRÖDERIA, Viri Admodum Reve-  
 rendi, Amplissimi & Excellentissimi Domini ELIÆ SIGISMUNDI  
 REINHARTI, S.S. Theol. Doctoris celeberrimi, ad D. Nicolai h. l.  
 Pastoris benè merentissimi, nec non pro tempore Rectoris hujus  
 Academiae Magnifici costa svavissima, rebus humanis septimanâ su-  
 periore per beatam analysin exemta. Præterquam, quòd & Ipsa so-  
 lum patrium vertere coacta fuerit, vitam suam peregrinationem ha-  
 bens, ductumque verbi divini sequens unicum istud necessarium &  
*τ' ἀνώτερον καλλιῶ* sibi curæ cordique esse sivit. Quare præventio-  
 nem hanc felicem gratulati nobis sequelam similem exoptamus, &  
 quia pomeridianis horis quod mortale nobis reliquit, apud commu-  
 nem Matrem sit deponendum, supremum humanitatis officium, na-  
 tales & vitæ cursum *ὁλημόνως* peractum recitando, virtutumque ty-  
 pum posteritati exhibendo, Beatissimæ jam persolvemus.

Lucem hanc adspexit currentis seculi anno 34. Dominicâ Quasi-  
 modogeniti, tunc Idibus ipsis Aprilis, in domo Quæstoria Serenissi-  
 mi Electoris Brandenburgici, quæ est in Wiesenthal. Parentes habuit  
 optimæ notæ, in Marchia Brandenburgica nominatissimos, & Patrem  
 quidem Virum Præstantissimum, multijugo rerum usu apprimè spe-  
 ctatum,

Hebr: 13,

Statum Dn. JOACHIMUM SCHRÖDERUM, in loco jam dicto, ut  
& tandem in Toparchia Zossen reditum Præfectum: Matrem, sui  
sexus & ordinis decus haut vulgare, in vivis etiamnum existentem &  
obitum Filia carissimæ acerbissimo luctu prosequentem URSULAM  
RUDOLPHIAM: Avum paternum Dn. JACOBUM SCHRÖDE-  
RUM, judicii Templinensis Assessorem: Aviam paternam MAR-  
GARITAM POTZERNIAM: Avum maternum Dn. THOMAM  
RUDOLPHUM, Serenissimo Electori Brandenburgico à proventibus  
annuis in Biesenthal: Aviam maternam AGNETEM HELWI-  
GIAM. Quæ familiæ cum in Marchia Brandenburgica non obscuri  
sint nominis, pluribus hîc adducendis supersedemus. Christiana  
non nata, per Φωτισμὸν Dominica sequente, quam vocant Miseri-  
cord. DOMINI facta, & ELISABETHÆ nomine libro gratiæ, & de  
quo nulli dubitamus, gloriæ fuit inscripta. Ut hoc nomen re ipsâ  
comprobaret ἡ μακαρίης, sequæ templum quietis divinæ, filiam lucis  
non tenebrarum, vas Spiritus mundi, non ἀκαθάρτης demonstraret, id  
operam dedit. A teneris culturæ facilem præbuit aurem, in pieta-  
tis & virtutum virginalium exercitiis incrementa luculenta quotidie  
capiens, quibus etiam Vir cum honoris præfatione jammodò com-  
memoratus Dn. Doctor ELIAS SIGISMUNDUS REINHARTUS,  
jam Rector Academia Magnificus, commotus, σύζυγον inter alias con-  
ditiones sibi oblatas τὴν ἐν ἀγίοις nostram selegit. Nam, cum ex  
Academia Rosarum currentis seculi anno 49 Ursellas ad officium Ec-  
clesiasticum vocaretur, & σύννοικτος καὶ σπύσις Dominii MARTINI  
RICHTERI Senatoris & Camerarii Berolinensis existeret, accidit,  
ut hujus & Domini CHRISTIANI HERTZBERGII Consulis Mitt-  
valdensis, etiamnum in vivis existentis interventu, ἡ ἐν βίολογίᾳ  
nostra propter virtutes, imprimis Oeconomicas, Ipsi jugalis offer-  
retur. Quantumvis autem Eandem de facie non nosset, omni-  
bus tamen aliis prætulit, & impetrato consensu Domini Parentis,  
Domini ELIÆ REINHARTI tum temporis in Regni Bran-  
deburgici Præfecti, ut & Matris carissimæ, superstitis etiamnum DO-  
ROTHEÆ GÖRLITZÆ, præmissis piis precibus, ipsis Nonis Maij  
sponsalia cum eadem contraxit, per solennitates Ecclesiasticas, præ-  
cipitante anno 49. circa Novembris & Decembris convergia, præ-  
sente Legato Electorali Brandenburgico, consummata.

:(

Post varias morborum tentationes, quibus corpusculum ipsius erat obnoxium, filiam primogenitam in decus familiae jam adolescentem & ultimum pietatis officium Matri desideratissimae persolventem URSULAM DOROTHEAM, anno 52. finiente Majo; vergente mense Decembri anni 56. filiam secundogenitam SOPHIAM ELISABETHAM, brevi post denatam; adulto Augusto anni 58. filium FRIDERICUM SIGISMUNDUM; eodem mense anni 61. filium WILHELMUM SIGISMUNDUM, in spem familiae succrescentes; tandemque filiam natu minimam JOHANNAM ELISABETHAM mense Junio anni 1666. fuit enixa, quibus omnibus Deus ex alto benedicat, & fructum pietatis paternae & maternae ferre faciat. Licet autem dulcissimus animorum *συμβιβασμός* esset inter utrumque Conjugem, & ipse superstes Dominus Maritus quovis amoris, honoris & officiorum genere nunquam non Eidem praesto esset, quod etiam agnovit, & sublatis manibus gratias egit *ἡ μακαρίτης*, tesseram tamen crucis, praesertim infirmitatum non minus generis, & jacturae tum Dni. Soceri, qui filiae loco eam habuit, anno 52. tum Parentis ipsius anno 55. luculenter admodum fuit insignita. Malis his accessit dilapidatio bonorum paternorum post obitum Domini Parentis facta, & quidem ab iis ex parte, qui munimento & incremento haereditati relictae esse debuissent. Unde moeror animi superveniens, quem signis non obscuris prodebat, infirmitatem corporis & morborum insultus non parum exasperavit. In cumulum tandem superadjecta fuit mutatio soli patris & a suis *διχοστασία*, cum sc. relicta Berolino & Marchia Brandenburgica Lipsiam mense Augusto anni 65 se contulit. Ut autem eo ipso, quo se accinxit itineri, die viribus ita prostrata fuerit, ut testibus Medicis Domino D. MARTINO WEISSIO, Archiatro Electorali Brandenburgico, & Domino D. THOMA PANCOVIO, lecto affigeretur, deque reconvalescentia illius actum videretur, paulatim tamen sibi restituta Dominum Maritum sequi, & sortis *ἀλλοπεγοῦ* *ἀλλ* vices cum eodem, non secus ac alibi, experiri voluit. Quod ipsum, ut & victorias alias, praesertim propensionis ad suos, moestissimus Dominus Maritus gratus deprædicat, & summis post fata laudibus effert. Cætera voluntati & moribus Domini Mariti se conformare, tempus tacendi & loquendi gnaviter observare, quæ supra captum & vocationem erant, missa facere, conversatione non nimis delectari, schema mundi floccipendere, res alienas minus curare, serpentes

pentēs hinc inde rēnūsculos minus captare, novitatem vestium detestari, prout etiam veterem suum habitum Berolinensem (quod omnes norunt) non mutavit, sed eò usque, dum publicum videret ultimò, tenax istius permansit. In omnibus adversis partem solatiū haut exiguam in Domino Marito, firmamento, defensore ac nutritio suo, cujus radiis & quidem *Rectoralis summae dignitatis in hac Academia* coruscabat, & cujus rebus secundis & ipsa fruebatur, positam habuit, prout etiam viduitatis incommoda secum ponderans, circa *Sixoropiciam*, si praeverteretur à Domino Marito, non rarò animi anxia deprehendebatur. *Sed Ipsa Prima purpuram Rectorem Marito, in viduitatis statum Eundem conjiciendo, exiit, & in Prorectorem devolvit.* Unicus verò quod hinc nullatenus reticendum, vitæ scopus ipsi Beatissimæ erat CHRISTUS, quem fide non titubante amplectebatur, piis precibus, lectione scripturarum & aliis pietatis exercitiis colebat, & ut in dies in Christianismo suo cresceret, salutis mediis, verbo & sacramentis, crebrò utebatur. *Quam familiaria hinc dieta scripturæ classica, de gratia Dei & Christi merito reddiderit, quomodo in succum & sanguinem converterit, Dn. Confessionarium hinc testem vocare possumus.* Ex quo vice ultimâ in congregatione publica sacrosanctâ Eucharistia fidem suam roboravit, quod factum Dominica XIV. post Trin. anno 66. Lecto affixa sacri hujus epuli aliquoties intra privatos parietes particeps facta fuit, & hoc sigillo fiduciam suam in Christi meritum obsignavit. Morbi anteambulones quod concernit, fuit phthisis & febris hectica, quâ multis abhinc annis fuit infestata, sed illam post puerperium ultimum calor & destillationes insigniter exasperarunt. Supervenit circa proximum Paschatis festum febris tertiana, quæ, quicquid adhuc residuum erat de viribus, penitus exhaustit. Quantumvis autem ab Archi-Episcopo & Ducali Medico Saxonico Domino D. MICHAELE HEINRICO HORNIO nihil intermitteretur eorum, quibus amissa sanitas recuperari potuisset, nullis etiam sumtibus, curis, vigiliis & laboribus hinc parceretur, vis tamen morbi tanta fuit, ut ab eadem natura fragilis & emaciata tandem superaretur. Quare ad animæ Medicum confugiens ipsi se totam resignavit, & dolorum (capitis etiam, quos à tempore multo senserat) expers, postquam domesticis & Dominis etiam commensalibus valedixit, lipothymiis crebrioribus exanimata quasi ante octiduum 12. Cal. Quintilis circa septimam vespertinam, triginta tres annos cum

cum spacio bimestri in hac scena mundana personam suam laudabiliter  
functam, in manus Salvatoris animulam unico brevi suspirio exhalavit.  
Nunc peregrinationis metam, civitatem fundamentum habentem, &  
exoptatissimum portum, in quo suaviter quiescit, ἡ μακαρίτης attigit.  
Nunc schematis mundani pertaxa & adversis omnibus prærepta, sem-  
piternam εὐεστῶ est consecuta. Nunc morti & ipsius prodromis illu-  
dit, ad arborem vitæ, cui propius agglutinatur, translata. Ut αμοιβὴν  
hanc incomparabilem ipsi, ἐν εὐφροσύνῃ constitutæ, gratulamur: Sic  
quod exiit mortale, S. S. Trinitatis tabernaculum, apud communem  
matrem in templo Academico post auditam III. pomeridianam spe-  
lætæ restitutionis deponemus. Nostros autem, ut Magnifico Aca-  
demie Rectori, jam Magistratui & capiti suo συμπάθειαν & observan-  
tiam suam declarent, in hoc fragilitatis humanæ speculum intuean-  
tur, & frequentes in funus Nobiscum procedant, his ipsis jubemus.  
P. P. IV. Cal. Sext. Anno M DC LXVII.

### Literis WITTIGAVIANIS.